



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. An Dialectica ex modo repræsentandi obiectum suum practica, vel
speculatiua sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

vtens non est scientia. Antecedens liquido constat in voluntate, quæ habitibus quos interdum non cognoscit, vtitur, & sine reflexa cognitione suæ facilitatis, facile tamen operatur. Respondeo; vti præceptis logicæ docentis non est scire præcepta, est tamen scire obiecta alia, ad quæ scientificè cognoscenda, logica docens vtentem dirigit: quare prout vtens non erit scientia præceptorum, erit tamen scientia aliarum rerum pro quibus cognoscendis præcepta traduntur.

CAPVT IV.

An dialectica ex modo representandi obiectum suum practica vel speculatiua sit?

36 **Q**ua in re prima sententia est, logicam esse omnino speculatiuam, & nullatenus practicam; ita cum Scoto in prologo sent. q. 4. plerique eius sectatores; ita etiam Capreolus, Scotus, Herueus, Boncinas, lauellus, & alij Thomistæ: item Auerroës 7. metaph. comment. 7. Auicenna init. suæ log. cap. 1. Bachonius in prol. quæst. 3. Porro hæc opinio aliter & aliter probari consuevit. Quidam ita eam confirmant: actus intellectus sunt obiectum adæquatæ logicæ; at ij praxes esse nequeunt: nullum ergo obiectum logicæ praxis esse potest: hoc autem ipso, quod logica respectu nullius obiecti sit practica, prorsus erit speculatiua. Alij secundò sic arguunt; obiectum logicæ est solum ens rationis: at hoc praxis non est, cum vere non fiat sicut ad praxim oportet, sed tantum ad instar eius quod sit illud fingamus: dialectica ergo nulla ex parte praxim respicit, ac proinde neutiquam erit practica, sed omnino speculatiua. Tertio alij hoc argumento malunt vti, scientia speculatiua est, quæ definiendo, diuidendo, & argumentando, procedit, siue quæ resolutorio modo tendit, sicut etiam scientia practica quæ contrariò & compositiuo modo, teste B. Thoma. 1. part. quæst. 14. art. 9. at vniuersa logica in definiendo diuidendo & argumentando posita est, & tota resolutorio modo progreditur; ergo vndequeque speculatiua est, ac minime practica.

37 **V**erum enim verò hæc sententia cum tam fragilibus innixa sit fundamentis, vel solum ea propter reiici meretur. Respondeo ad primum argumentum eius maiorem esse falsam, vt ex tractatu 1. liquet; minorem etiam, vt in metaph. lib. 6. tom. 5. cap. 3. docebimus. Ad secundum; Maior est falsa, vt etiam ex superioribus constat: Deinde minor, siquidem ens rationis licet propriè factibile non sit, sed potius quid fieri impossibile, tamen impropiè & secundum quid factibile est, quod sufficit vt praxis sit respectu cognitionis dirigentis ad eius qualem qualem effectiōnem: qua ratione actus virtutum moralium in Deo praxes sunt, cum tamen non sint propriè factibiles: & quo pacto verbum, quamuis genitum non factum, nihilominus praxis rationem fortassis obtinet. Vide quæ in met. de praxi & speculatione disseremus, neque non quæ capite sequenti subiiciemus. Ad tertium: scientia speculatiua & practica non in eo dissident, quod illa resolutorio modo procedat, seu conclusiones in principia per argumentationem, aut definitum in genus & differentiam per definitionem, aut totum in partes subiectiuas per diuisionem resoluat, contra vero hæc compositiuo modo seu considerando applicationem formæ ad materiam progrediatur, vti plures Thomistæ contendunt: tum quia scientia procedens resolutorio modo seu defi-

niens, diuidens, & argumentans, ad executionem sui obiecti conferre, & ad eam tanquam finem referri potest, vt visitur in hoc actu, *definio constat genere & differentia*, qui sanè dirigit ad eliciendum hunc actum, *homo est animal rationale*, aut alium similem, & eius executionem sibi finem præstituit, cum tamen suum obiectum in genus & differentiam resoluat; eademque eius erit ratio, etiamsi obiectum suum in principia resoluat, & ex eo quod definitio sit *oratio explicans naturam rei*, & talis esse nequeat, quin constet genere & differentia, eam constantiam efficiat atque concludat: sed cognitio suapte natura relata ad executionem operis sibi subiecti, hoc ipso est practica: igitur cognitio procedens resolutorio modo est practica, ac proinde modus hic neutiquam est proprius solius speculationis. Tum etiam, scientia Dei de Angelo, & Angeli de suis operationibus practica est, vt certo certius: nihilominus compositiuo modo non procedit; id est applicationem formæ ad materiam non considerat, cum Angelus & operationes eius immanentes saltem & vitales, materiei & omnis corporeæ concretionis ac terrenæ facies expertes sint: Et quidem, sic & non aliter, modum hunc compositiuum Thomistæ explicant, & practiciis notitiis proprium esse autumant, nisi fallor delusi exemplo plurimarum artium, quæ hoc docent, quatenus in aliquam materiam sensibilem imprimenda sit forma quædam artificiosa domus, nauis, imaginis, vestis, gladij, aliæque eiusmodi. Denique è contrariò scientia nostra de cælo v. g. speculatiua est, non practica, & tamen modo compositiuo procedit, & applicationem ac vniōnem formæ cælestis ad eius materiam, si non à nobis, at à Deo factibilem considerat. S. Thomas autem cap. 6. inferius explicabitur, quare immerito nominis eius profugio aduersarij vtuntur.

38 **S**ecunda sententia est, logicam esse omnino practicam, & neutiquam speculatiuam. Cui suffragantur Aureol. quæst. 3. prol. art. 2. Occam. quæst. 11. Collar. 2. conclusionis 4. Gregorius quæst. 5. art. 1. Gabriel quæst. 11. art. 2. post. 5. conclusionem. Fonseca, tom. 1. metaph. lib. 2. cap. 3. quæst. 2. Scaliger exercit. 307. num. 2 3. landun. 6. metaph. quæst. 5. Paulus, Vennet. initio suo logicæ, Gilius lib. 1. tract. 5. cap. 1. n. 3. Rodericus disput. 3. log. l. 3. sub. 2. & alij tum neoterici, tum antiqui. Quorum etiam opinio sicut procedens, non vno solet probari modo. Aliqui eius fautores sic arguunt. Dialectica tota est in dirigendis actibus intellectus tota in eorum artificiosa effectiōne procuranda, aliudque præter eos, aliove modo nihil considerat: practica igitur ex toto est. Item alij sic arguunt: logica tantum respicit voces, & respectu ad illas habet, hoc solo fine, vt ad earum artificiosam dispositionem, atque effectiōnem dirigat: omnino igitur practica est, & nullatenus speculatiua. Ceterum istiusmodi rationum leuitas arguit, quam tumentur sententiam leuem esse, parumque momentosam. Principiò namque, nec solos actus intellectus, nec solas voces obiecti formalitèr logicæ docenti, sed etiam res prout vtrisque subsunt, eorumque merito significantur, & per late ostensum tractatu 1. & inferius cap. sequenti fortassis ostendetur, falso igitur principiò ea nititur opinio. Vtcrius res quatenus actibus intellectus aut vocibus subiiciuntur, saltem sunt obiectum materiale logicæ docentis, quod ne aduersarij dissentiant: cur ergo dialectica respectu rerum speculatiua, ac proinde non omnino practica sit; quemadmodum actus intellectus verus aut falsus esse potest, munere solius obiecti materialis, vt cum conclusioni falsæ ob præmissam veram

aut conclusioni veræ ob aliquam præmissam verisimilem quidem, reuera tamen falsam intellectus assentitur: his enim euentis conclusio est vera aut falsa ratione sui solius obiecti, non vero obiecti propositionis præmissæ, quod cum representetur sicuti est in se, quomodo potest tunc conclusioni falsitatem aliquam impertire? cum vè, hac existente vera, illud representetur aliter ac est reapse, quo pacto eiusmodi veritatem constituere sustinet? Adice, quod plures aduersarij logicam etiam vntem omnino practicam esse velint; quam immeritò tamen; capite sequenti clarebit.

39 Tertia sententia est, logicam esse partim practicam, partim speculatiuam. Ita Suarez disp. 44. Metaph. sect. 1. 3. num. 54. Vazquez prima parte q. 1. art. 4. disp. 9. c. 1. num. 2. Compton. di. p. 10. log. sect. 6. Hurtadus disp. 2. logica sect. 2. & disp. 9. §. 2. Rubius q. 5. proœm. Conimb. q. 4. proœm. art. 5. per totum Louanienfes. q. 15. in Porphyrium. Quorum tamen aliqui putant, logicam dicendam esse absolute & simpliciter practicam, propterea quod etsi speculationibus intermixta sit, eius tamen finis sit praxis, & hæc primas in ea partes sibi vendicat: alij contra vtramque denominationem eis ex æquo conuenire. Hanc autem dissensionem non de rerum qualitate, sed de verborum comprehensione arbitror; eos vero rectius loqui; qui admissis variis habitibus dialecticis, quorum alij sint practici, alij speculatiui, aut concessa eidem simplici habitui respectu diuersorum vtraque illa denominatione, logicam totam præcisè & simpliciter practicam dicendam esse existimant. Vt enim supra sæpe sæpius animaduersum ex doctrina Aristotelis lib. 3. de anima cap. 10. & 2. metaph. cap. 1. finis est qui potissimum scientias specificat, & practicas vel speculatiuas denominat. Illud autem in superiori sententia, etiam penes id quo rem ipsam tangit, & seorsim ab appellatione totius dialecticæ, vnde petenda sit; mihi magno pere di plicet, quod plerique eius authores arbitrantur logicam etiam docentem reuera practicam simul & speculatiuam esse. Huius enim contrarium longè probabilius ac verius est, vt cap. sequenti ostendemus.

40 Quarta sententia est, dialecticam nec esse practicam nec speculatiuam. Ita Pererius lib. 1. phys. cap. 3. ad eius finem, Zabarella lib. 1. de natura log. Petrus Niger quaest. 14. Clypei & alij. Enimuero hæc opinio, quantum ego opinor, ceteris est inuicibilior. Atque in primis æqui bonique non consulo, quod aiunt aduersarij plerique, dialecticam nec artem nec scientiam propriè esse, inde inferentes fieri non posse, vt practica vel speculatiua sit, & non potius instrumentum quoddam, cuius præsidio ceteræ facultates vel speculentur vel practicè cognoscant, artifice aut scientiæ rationem obtineant. Quod enim logica sit ars quod etiam scientia cap. præc. satis probatum manet. Adhæc, quod supponunt contrarij, solam artem aut scientiam propriè sumptam esse posse practicam aut speculatiuam, id à me nunquam impetrabunt: quidni enim facultas quauis intellectualis, vera si sit, & opus aut otium ab opere finem habeat, practica aut speculatiua esse queat? quanquam nec ars sit, nec scientia, propriè & strictè: qua ratione multi non solum scientiam strictam & ab Aristotele definitam, sed etiam artem præsumptam, respectu creaturarum creatori negant: propterea quod eiusmodi artem cum periculo erroris coniunctam, & eius præcauendi gratia inuentam existiment? Nihilominus scientia Dei de creaturis practica est aut specula-

tiua, prout eas factas aut faciendas representat. Tametsi ergo logica (quod falsum arbitror) propriè, & rigorosè nec sit ars nec scientia, at practicam vel speculatiuam eam esse oportebit. Item tertio nodum mihi videtur in scirpo querere, qui in aliqua disciplina, quæcunque, sit medium disquirat inter duas illas denominationes, eique neutram illarum congruere retur. Aut enim eiusmodi facultas dirigit ad executionem sui obiecti, aut non est ita directiua; aut sistit in eius contemplatione, aut vltius progreditur: vtrumcunque autem eligas, necesse est, eam practicam, aut speculatiuam esse fatearis. Denique Aristoteles in nulla disciplina, res sibi subiectas, prout sunt, cognoscente, istiusmodi medium agnoscit: quin imo illud reiecit 6. Metaph. text. 1. *omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est.* Porro, vt constabit in loco, per actiuum & factiuum intelligit practicum: hoc ergò adæquate distinguit contra speculatiuum, eique immediatum esse putat, aliàs diuisio ab eo tradita inadequata & insufficiens esset, neque omnia inferiora comprehenderet.

CAPVT V.

Superioris instituti prosecutio.

41 Hactenus vidimus qua ratione alij de modo representandi practico & speculatiuo logicæ sentiunt. Sed bona cum illorum venia, dico primò, logicam docentem, hoc est eam quæ præcipit, quo pacto possimus definire, diuidere, argumentari, aut alitercunque veritatem rerum assequi, practicam omnino, & nullatenus speculatiuam esse: Item secundo logicam vntem, si est docens cum respectu quodam superius explicato ad alias scientias, prout etiam practicam esse: Rursus tertio logicam vtentem, sumptam pro ea parte dialecticæ, quæ definitionem, diuisionem, & argumentationem in particulari, ac certa quadam materia cuiusvis alterius scientiæ faciendam considerat, esse itidem ex toto practicam. Præterea quarto logicam vntem, prout modum sciendi existentem & factum intuetur, partim esse practicam & ex parte speculatiuam. Deinde 5. logicam vntem, acceptam pro ea portione dialecticæ, quæ res secundum esse physicum, & earum prædicamentorum constitutionem respicit, esse ex integro speculatiuam. Post hæc sextò logicam vtentem, si sumatur pro actibus & habitibus aliarum scientiarum, prout à logica directis, aliquando esse omnino practicam, interdum omnino speculatiuam, & nonnunquam mixti generis, simulque practicam & speculatiuam: nam triplicem hanc varietatem subeunt aliæ scientiæ quæ logicæ præceptis vtuntur. Denique logicam, prout est vtens ac docens, & res penes earum esse physicum & prædicamentale, sobriè quidem, & parcè, secundas vero intentiones ex professo, & copiosè pertractat, ac duplicem hunc tractatum in vnam quandam scientiam totalem, more vnius in scholis tradi solitam congerit; eam, inquam, ita vsurpatam, atque ex vsu, & doctrina commistam, partim esse practicam, & partim speculatiuam, etiam si quæ est in ea speculationum paucitas, contra verò numerus cognitionum operi, ac praxi incumbendum, magis dicenda sit practica quam speculatiua, imò multoties absolute, & simpliciter practica; propterea, quod non speculetur, nisi quodammodo praxis gratia, & hæc sit præcipuus finis, quem sibi proponit, & in quem